Quodlibetaria Quæstio agitanda In Scholis Medicorum die 11a Decemb.

M. Joanne De Vico Moderatore.

An nostra triplex substantia triplici humido conservetur?

Ex substantia Elementorum mundi et qualitatibus non refractis (solum frigido et humido agentibus) Innatum Calidum, spiritus, tertia substantia triplex Humidum (quibus omnes partes similares perficiuntur solida perficiuntur) Innumerique, quas omnia (alimentari humido secluso) à semine vi tua formatrix (cui nutritio et auctio, nec facultate, nec actione distincta subserviunt) sui ortus originem sumpserunt.

Partium similarium spirituosa substantia humido primigenio nutritur, carnosa ex alimentari corrosa, solida ex Elementari robur et firmamentum capit, quorum quovis absumpto totius substantiæ fit dissolutio. Innato tamen calido (non præcipuo naturalium actionum authore) et spiritu eius vehiculo (quos sese mutuo ponunt et tollunt) dissipatis, triplex humidum residere potest.

Spiritus tot species, quot partes similares natura et substantia distinctas, aut sunt influentes, aut insiti; insiti influentibus gubernantur, et ad opus concitantur. Eorum sunt tum influentium tum insitorum, alii animales (nimis alijs vitales confœderantes) alii vitales, alii naturales, quorum omnium naturalium est materia et nutrimentum.

Ad triplicis nostræ substantiæ senectutem arte nulla vitandum, contingentem humidi primigenii perpetuo lapsu, nutritione instaurandum, naturalis calor hepatis et ventriculi alimenta, tum calida frigidaque præparat, quæ in sanguinem mutata caloris substantiam augmentant, sed qualitatem et alterationem non inducunt.

Sanguis in maioribus vasis residens non nutrit, sicut nec chylus in ventriculo, cuius excrementum crassius lien, tenuius vero fellis folliculus (puro sanguine ad nutritionem relicto) ad sese magnopere trahit, purgandæ vero pituitæ nullum natura instrumentum condidit, à quibus succis plethora, vasorum intemperatio et ruptio, repentina suffocatio et id genus proficiscuntur.

Igitur triplex nostra substantia triplici humido conservatur.

Asserebat Lutetiæ M. Guilelmus Bogatius. M.D.XLVII.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE